

te in mentem mihi reuoco tempus illud, quo a TVO,  
VIR MAGNIFICE, suauissimo pendebam ore, quo  
purioris religionis dogmata, quo salutare, atque di-  
uiniore doctrinas solidissima mihi instillabas methodo,  
quo dulcissimas sapientiae doctrinas in animum meum  
ingerebat beatus TVVS filius, cuius cineres grata,  
atque submissa mente veneror (osi benignissimum nu-  
men hunc mihi conseruare voluisset patronum atque  
fautorem!) Saepius cum insigni animi voluptate  
recordor illius temporis, quo ex Reinecciorum, Leo-  
num, aliorumque celeberrimorum virorum doctrina  
exoptatissimos colligebam fructus, quibus caruissem,  
si TVIS, VIR SVMME DEVENERANDE,  
sapientissimis caruissem consiliis. Haec omnia dum  
mente agito, submisso animi cultu in TE, PATRO-  
NE DEVENERANDE, feror, meque totum ra-  
pi sentio. Huius meae in TE pietatis atque sub-  
missi animi adfectus hoc publicum exstare volui do-  
cumentum. Pro summa ergo, quae in TE est, hu-  
manitate, serena suscipe fronte, quod pietas a me  
exegit, benigne suscipe id, ad quod ipse benigna TVA  
in me gratia me excitasti. Quod reliquum est sum-  
mum numen supplex veneror, velit sua prouidentia  
venerandam TVAM protegere canitiem, velit TE,  
VIR SVMME DEVENERANDE, per multos ad-  
huc annos seruare saluum, sanum, atque incolumem;  
velit TE conseruare Serenissimo TVO Principi pio,  
magno